COLAI

PERA.

IUS V.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani

Liber

Novo Tacim

937/V

Henrici Nicolai

1. Theologiae Epitome.
2. Exercitatio de Methodo Trinitatis.
3. Exerc. de Medio Religioso et Theologico.
4. Ex. de Conciliatione Enunciatorum.
5. Miscella Theologica.
6. Ex. de non liquendo.
7. Irenicum defensum et explicatum.
8. Irenicum defensum et explicatum continuatum.
9. Exercitatio de Ahasvero Esthera.
10. Exerc. de Symbolo Athanasii.
11. Erklärung der Schrifft im Prediger Salomo IV. 4.
12. Tractatus de Pace, Editio emenda.
13. Protestatio super nova Editione Tractatus de Pace.
(14. Georgii Rheti Viduae Reprotestatio antecedenti Protestationi opposita)
15. Protestatio defensa.
16. Oratio de Philosophiae Studio cum Theologia conjungendo, praemisso Programmate.
17. Cursus Philosophicus.
18. Exercitatio de Subjecto et Adjuncto.
19. Exerc. de quotidiana Telluris revolutione.
20. Ex. de Astrologiae Veritate, licitaque apud Christianos ratione.
21. Tr. de Modis praedicandi.
22. Tr. de Comparativarum Enunciationum expositione.
23. Rotgeri zum Bergen Res Sacra Amicus sive Epistolium ad Henricum Nicolai.
24. Godofr. Zameli Hymenaei Tumulus.

2. b. Rotgeri zum Bergen Epistolium ad Henricum Nicolai.

D. O. M. A.

# REPROTESTATIO
& 
# RETORSIO.

Famoso cuidam ac Virulento scripto, sub nomine Protestationis super novâ Editione Tractatus

De

# PANE

Henrici Nicolai, S. Theol. & Philosoph. apud Elbingenses Prof. Publ. Honorarii, Ibidem, Typis Achatii Corellii de data 8. Calend. Augusti Anno præsenti 1651. publicato, in vim necessariæ, tutelæ opposita

per

Viduam Olim Georgii Rhetii.

---

GEDANI,
Typis propriis Anno Domini
M DC LI.



*Pleriq; ubi aliis maledicumt, faciunt convitium sibi*

# LECTORI BENEVOLO.

## Pacem & Felicitatem.

PRodiit nuper in conſpectum orbis Scriptum quoddã, ſub nomine Proteſtationis Henrici Nicolai S. Theol. & Philoſ. apud Elbingenſes Prof. Publ. Honorarii, in quo, præter dentatam Latinitatem, tam inſignibus titulis dignum invenias nihil. Quî enim fieri potuit, Theologicarũ virtutum Doctorem Publicum, tam publicè ſanctisſimarum Divini Decalogi tabularum memoriam, de poſuisſe, vel cuſtodiam abjecisſe, ut, loco dilectionis proximi, concepto gratuito odio, famam ejus ex improviſo aggredi, mordaciq; facundiâ diſcerpere non dubitaret, ſparſo in eum finem publicè per omnia Bibliopolia, ſubipſis ineuntium nundinarum Dominicalium ſolennibus, ſcripto maxime injurioſo, Publicum Chriſtiani, & eruditi Lectoris, maledicentiæ ſuæ applauſum hoc ipſo ambiens, qui tamen conſcientiam teſtem, & niſi reſipuerit, Tortorem, ipſum Deniq; Deum vindicem, nequicquam exhorruit, dum ejus venerandum nomen huic mendaciorum fabricæ in frontiſpicium ponere, adminiſtrâq; ejus operâ in conſarcinandis conviciis gloriari non erubuit? En tibi, Lector Chriſtiane & erudite, quem, admireris & in prætio ponas Ducem cæcorum, Magiſtrum infantium, habentem formam ſcientiæ & veritatis in lege, requieſcentem in lege & gloriantem in Deo, Rom. 2. Theologum deniq; Chriſtianum, qui inhonorando DEum per prævaricationem Legis; Ibidem, ℣. 23. cum aliis prædicat, improbus efficitur 1. Cor. 9.

Sed fortè melior Philosophus? Quæ verò, malum est tam iniqua Philosophiæ pars, quæ cæteros omnes ac usum rectæ rationis, habitumq; veræ virtutis admittat solos duntaxat sui magistros circa impedimenta perturbationum relinquat, ut quovis levissimo abrepti vento, & constantiâ mentis, tantoperè deprædicatâ, tam citò deiecti, Quà data porta ruant, & terras turbine perflent? Contemplare quæso, Lector Christiane acerudite, & quære Philosophum in propriis animi sui Iconibus Quorum primus est, Literæ suæ privatæ 12. Julii Elbingâ Gedanum allatæ, propria manu exaratæ proprioq; ejus sigillo communitæ sequentis tenoris.

Der Ehr und Tugendsamen Frawen Annæ N.
Herrn Georg Rheten seel. nachgelassenen Witwen
vielgünstigen Freindin einzuhändigen.

*Ab altera parte est Locus Sigilli cum literis*
*H. N. & insignibus.* in

Dantzig.

Epigramma in Tractatum de Pane
*Clarissimi Excellentissimi Viri,*
Dn. Henrici Nicolai, Theologi ac Philosophi eximii
P.P. Honor. Amici Colendi.

THeologi quidquid comprêndunt nomine panis,
Id de Pane docenti ad fluat omne tibi
Letitiæ in Cœlis tandem sine fine manentis.
Autor edat panem! Sint rata vota DEus.

*Faciebat*
R. Z. B. R. S. H. J. B.

S. P. Günstige Fraw Rhetin/ dieses Carmen muß auffm Titul Bogen Tract. de Pane mit auffgesetzt werden und der Titul vorn so formiret werden.

D. O. M. A.

De

# PANE

Ejus natura, ejus affectionibus, operationibus, divisionibus & varietatibus

## Tractatus Singularis

Theologicus, Philosophicus, Medicus, Historicus & Philologicus Lectu utilissimus, jucundus & necessarius.

Authore

Henrico Nicolai.

Phil. & Theologo Apud Elbingenses Professore Honorario in Th. & Philos.

Editio secunda, priore auctior & limatior
Ab Auctore revisa, aucta, mutata.

DANTISCI,

Typis Viduæ Georgii Rhetii.

Anno a partu Virginis Matris M. DC. LI.

Bitte wan es fertig mir 25 Exemplar vor meine arbeit zusenden und meiner Fr. Schwester überliefern/ die es an mich übermachen wird. und von meiner Logic 40. Exempl. an sich behalten / ich werde sie hie bedürfen/ ich wolte daß einr von ihren Söhnen mit Büchern einmahl herüber köhme/daß ich etliche sachen mit jhm abreden möchte.

Alter est, Publica Protestatio, Quod utrumq; compone invicem, duplicia omnia deprehendes, duplicem calamum, duplicem scripturam, duplex os, duplicem affectum, duplex cor, duplicem virū, Dixeris ex altera parte Thersitē, ex altera stare Paridem, vel hominem Euripum, aut Polypum versicolorem.

I. Quem

1. Quem n. edi cæptum antea Gedani ipſemet, vidit & legit, atq; inhiſce literis urget edi Tractatum, & propterea reviſum antea communicat exemplar, hunc ipſum in Proteſtatione dicit ſe ignaro & non aſſentiente editum, & furtivo auſu in eo proceſſum.

2. Inſuper in literis præſcribit, nomé ſuum cum titulis modernis ſecundæ huc editioni præfigi. Mos ei geritur. Teſtis ſit ipſa editio, Attamen inproteſtatione queritur Avaros Typographos. ( in me hanc cudens fabam ) lucro inhiantes inſua ſcripta involare, & pro ſuis eo inſcio uſurpare. Quis hoc unquã molitus eſt? Quis ea ſibi addixit? Alibi quærat tales corniculas alienis pennis ſuperbientes, mihi probro non erit fateri, me latina vix legere, certè non intelligere, longè minus aliena meo nomine edere poſſe. Aliis hanc palmam Latinè ſcribendi intactam relinquo, quos DEus talentis ſuis aptè inſtruxit, nec mihi hic opus helleboro. ſufficit mihi, Typos meos alienorum ſcriptorum eſſe miniſtros, non propriorum.

3. Indignatur reſecari laborem ſuum, alia omitti &c. ſicq; proſtituta pro ſuis orbi commendari. Quis ingenuus alienis ſcriptis ſecurim admovit? Quis Doctorum ſcripta publicando, ea proſtituit? Quis cenſoriâ virgâ in eis uſus eſt? Nonne reviſum ſuum exemplar promptè receptum, & cum priori editione accurate collatum eſt hâc lege, ut pauca illa quæ hic & illic interſerenda aut immutanda veniebant ad calcem tantummodo operis peculiari tabellâ connotarentur? Quod etiam factum. Attamen tanta ei nares bilis inſedit ut incertus quid agat, emendationem modò neget, pauló poſt affirmet & cum nulli conveniat ſe cum quoq; diſſideat ipſe. Quis ergo locus crimini ubi voluntas committendi defuit? quis locus emendationi quæ jam præceſſit? Quæ deniq; cauſæ criminandi præterſolam libidinem, quam proteſtans non compeſcuit?

4. Porrò non ſine ſtomacho legi poteſt, eum, vix toto menſe elapſo tam fœdè mutatum, ut maternâ pietate, quâ docti fructus eruditionis ſuæ proſequi ſolent, exutâ, novere-

vercalem crudelitatem induere, & abdicato hoc ipso labore suo, Ejus editionem uti adulterinam reiicere non sit veritus, Quætamen præter meros ingenij sui partus hactenus enixa est nihil. Aut igitur fateatur fætum hunc ex adulterino conceptu prodiisse, aut diffiteatur se pro hoc ipso labore, absolutâ hac secundâ editione, 25. ejus exemplaria unquam poposcisse. Eligat utrum malit.

5. At crescit rabies, crescit simul & calami intemperies, usq; ad sacrilegij objectionem. Sed & hic sorex suo indicio. Legat propriam Epistolam & minimum injunctæ dedicationis vestigium inde evincat, quod solum arguit hominem poppysmo delinitum, majorem suæ, qnum DEI gloriæ promovendæ, curam gessisse, cum hujus in literis nementionem quidem injecerit Quamvis titulorum seges nontà illic ampla esset, quin vel initialibus literis aut notæ alicui locum daret. Non pulsum igitur falsò dicat nomen DEI, sed à semet ipso neglectum & loco ejus ( præ festinationè an incuria ? ) carmen amici suffectum.

6. Dolet præterea, fucus iste, sed aculeatè, indicem omissum, sed absq; causa. Compressior n. hæc editio absolvi primum debuit, antequam Index numeris paginarum adaptaretur, alioquin præposterus labor. Itaq; & hic vana criminatio.

7. Et Proinde Autor protestationis, conquerendi, protestandi & convitiandi, legitimam causam habet nullam, nisi quod fortè malè eum habet, huic tractatui suo de Pane, Corollarii loco unicum adhuc caput defuisse, nimirum, De modo Panem viduarum intervertendi quod jam eò minori labore adjicere potest postquam hujus rei specimen, egregius nocendi artifex, compendio trium pagellarum feliciter præstitit, dato inter-dicto ad lectorem & Typographos, ne ut suum laborem emant, legant, habeant &c. quod fieri haud poterit, nisi simul & autorem, cum suis titulis abjiciant, diversa ( uti patet ) imò adversa scribentem contrarietatis nullo sensu aut verecundiâ. Tulit is certè, imò jecit, alterâ manu lapidem, altera panem ostentans, seu po-

tius

tius panes viduæ in lacrymas & lapides convertens, qui si vir esset, haud quaquam sibi ullam hoc in genere palmam delegisset, qualem cordatus omnis abhorret, & vincere fœminas inglorium, & vinci ab illis turpe ducet. Verùm si animus sibi pugnandi cupiditate tantoperè efferbuit? suus sibi saltem quærendus erat Achilles digna laudis materia. Quem quidem invenisse, etiam telum & lacertos in eum parasse dicitur. Sed represso hoc cote fortitudinis, reduxit mox calculum. Netamen is apparatus penitus evanesceret, Amazonum procul dubiò trophæa somnians, imbellem agressus est, & unicam viduam, cui caduceatore præmisso bellum indixit literarium, sublatoq; vexillo conflictum inchoavit, acrem primo ingressu, sed talem successu, ut tot eademq; ipsa, quæ in me meosq; contorsit, convitiorum tela, utpote, imputati furtivi & sacrilegi ausus, avaritiæ, mutilationis & usurpationis alienorum laborum, cum titulo fuci ignavi, Jure defensionis (quod natura ipsos quoq; vermes docuit) in caput ejus retorquere & ne dignum patellæ desit operculum, eodem Jure de vanitate ac nullitate protestationis prædictæ reprotestari solennissime præsentibus hisce cogar. Atq; siquid muliebria monita possunt, hortor fideliter, recordetur officii sui, & Theologus, maximam Theologicarũ virtutum charitatem non simulatam cum modestiâ amplectatur. Datoq; nuncio omni malitiæ scientiam conscientiæ jungat. Philosophus, tranquillitatem & constantiam animi non tam præceptis quam exemplo commendet, Professor, primùm se, dein alios doceat. Publicus, idem sit qui privatus. Honorarius, honori suo & alieno parcere discat, ne maledictis operam insumendo opinionis de se apud bonos naufragium passus, se ipsum prostituat. Sic n. plerunq; evenire solet, ut qui, quæ vult, dicit, quæ non vult audiat. Hanc meliorem mentem ut ei largiatur DEus ex animo precor. Te a. benevole Lector, ut quam necessitas extorsit defensionem, æquo animo legas amicè rogo. DEus pacis sit nobiscum. Dab. Gedani Idib. Augusti Aõ. Dñi. M. DC. LI.



